

recta ratione hæreticos quis appellat: pro eo quod neque ex divinis scripturis certi aliquid de his vel manifestè dictum esse videatur, neque in prædicatione Ecclesiastica contineri: ita neque hunc virum culpam iustum est, differentem quod sibi visum est, maxime cum illud præcipue servaverit, quod in Ecclesia de animæ confessione servari omnimode debet: id est, ne diversas diceret esse naturas animarum: quinimo & dicentes redarguit: & vehementiori assertione convincit. Ipse autem fateatur unius substantiæ omnes animas, & immortales ac rationabiles liberi arbitrii ac voluntatis: iudicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt: esse tamen eas factas à Deo qui universa condidit & creavit. Quando autem factæ sint, olim simul, aut nunc per singulos nascendum, quid periculi est alterum à duobus opinari: sed respondere possibile est: ut omnis penitus culpandi aditus excludatur. Sicut enim de luminaribus cæli diversa singuli etiam ipsi qui sunt in Ecclesiis sentiunt: aliis liquidem opinantibus esse animantia & rationabilia animalium: aliis vero putantibus quod irrationalia sint: imo vero quod non solum vera anima, sed omni sensu penitus careant, & sola sine sensu ac spiritu sint corpora: nemo tamen merito alterum eorum qui hæc ita diverse sentiunt, hæreticum dixerit: propter hoc quod non ita aperte de his traditum est in Apostolica prædicatione: ita etiam eos qui de humana anima dubitant, & de initio ejus vel origine diversa opinantur, non est rectum hæreticos pronunciare: maxime cum in reliquis Ecclesiasticæ doctrinæ regulis quod rectum est & catholicum, teneant.

PAMPHILUS. Novissima criminationis est *μετὰ τὴν ἀποστολὴν* id est, transformationis animarum. Ad quod, sicut in cæteris fecimus, ipsius qui accusatur respondebimus verbis, illud primo per necessarium commentum: quia accusatores ejus non intelligentes qualiter ab eo de ista questione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, ut non semper velut ex una persona pronunciari videantur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ à contrario dici poterunt, disputentur: & hanc esse artem disputandi non advertentes, obijciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea quæ ex adversantis persona differunt. Denique quod discutiendi hæc & non confirmandi dixerit, causa: ipse per ea quæ post tractatum rei ipsius adjecit, ostendit hoc modo, dicens.

ORIGENES. Sed hæc quantum ad nos pertinet, non sunt dogmata: sed discussionis gratia dicta sunt, & abijciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur questio mota non esse discussa.

PAMPHILUS. Sed hoc in eo loco dixit, in quo de animabus animalium requirebat: non de transformatione animarum.

DE ANIMARUM TRANSMUTATIONE in libro septimo Evangelii secundum Matthæum.

QUIDAM quidem opinantur ex eo quod dictum est, ipse est Elias qui venturus est, animam Eliæ eandem fuisse quam Joannis. Quod enim dixit: ipse est Elias, non ad aliud, sed ad animam referendum putaverunt: & ex hoc pene solo sermone dogma introduxerunt *μετὰ τὴν ἀποστολὴν*, id est, transformationis animarum: quasi etiam ipso hoc Jesu confirmante. Sed oportuerat intueri, quia si hoc verum esset: in multis utique Prophetarum vel Evangeliorum scriptis, simile aliquid inveniri deberet.

Tum deinde etiam ille sermo qui huic adjungitur, ostendit secretiorem quemdam & arcanum sensum in his quæ dicta sunt requirendum: magis quam quod illi secundum literæ sensum intelligentiam susceperunt, cum dicit: Qui habet aures audiendi audiat.

Addendum autem & illud est, quia si pro peccatis secundum quod ipsi sentiunt, transmutatio fiat animarum: propter quæ peccata, Eliæ anima transmutata est in Joannem: qui ab ipso angelo nasciturus prænunciatur, à quo & Jesus Salvator noster? Quomodo ergo non evidentissimum mendacium est hoc, ut ille qui tam perfectus fuit, ut nec communem quidem istam mortem gustaret, veniret ad transmutationem anime: quæ secundum illorum assertionem non potest accidere nisi ex peccatis? Denique hoc quomodo exponunt quod dictum est ad Joannem, Tu Elias es, & dicit, non sum? Sed ut ostendatur convenire hoc etiam illi verbo quod

dixit Dominus, si vultis suscipere, ipse est Elias qui venturus est: hoc quod dixit, Elias ipse est, referendum est ad spiritum & virtutem Eliæ. Joannes enim præcessit in spiritu & virtute Eliæ convertere corda patrum ad filios.

DE EO IPSO EX DECIMO sexto libro super Matthæum.

QUIDAM qui alieni sunt à catholica fide, transferri animas ex humanis corporibus in corpora animalium putant, secundum differentiam peccatorum: nos vero qui hoc nusquam invenimus cautum in divina scriptura, dicimus, quia per multam vitam negligentiam humana prudentia cum fuerit inculta atque neglecta, efficiuntur velut irrationabile pecus per imperitiam vel negligentiam, non per naturam: similiter autem & hi qui tales fuerint effecti ex proposito sui negligentia qua erudiri neglexerint, si eruditioni se atque exercitio rationabili tradant, rationabiles efficiuntur atque prudentes, sicut scriptum est de illis Evangelicis canibus, qui manducabant de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, ex quibus converti Chananæa facta est Filia Dei, secundum quod dicit ad eam salvator: O filia magna est fides tua. Sicut enim virtus animi confert unicuique ut sit Filius Dei: ita malitia mentis & verborum infania atque impudentia, facit unumquemque secundum auctoritatem scripturæ appellari canem. Similiter autem intelligendum est etiam de cæterorum animalium mutuum appellationibus.

DE EODEM EX DECIMO TERTIO libro super Matthæum.

IN his Elias non anima Eliæ mihi videtur uti ne incurramus in dogma alienum ab Ecclesia Dei de transmutatione animarum: quod nec ab Apostolis traditum est, neque usquam in scripturis cautum est. Contrarium namque est his quæ dicta sunt ab Apostolo: quoniam quæ videntur, temporalia sunt. Et ubi sunt quæ omnes scripturæ confirmant quod præsens sæculum finiendum est? Sed nec illud poterit stare, quod dictum est: Cælum & terra transibunt: neque illud quod dictum est per Apostolum: Transibit enim habitus hujus mundi: & illud: Cæli peribunt, & ea quæ sequuntur. Si enim, ut aiunt auctores hujus dogmatis, nemo potest in id initium restitui quod primo fuit ab initio mundi usque ad finem: quia ex causa immutari vel transferri animam secundo vel tertio opus est vel frequenter? Hoc enim modo reddi delicta uniuscujusque personæ perhibent, & pœnas sui: si in diversa corpora frequentius transmutentur. Quod utique superfluum fiet, si finis ei nullus emendationis occurrat: nec erit unquam quando non anima transferatur. Et si semper pro delictis, animabus ad corpora diversa redeundum est, quis unquam mundo dabitur finis: ut impleatur quod dictum est: cælum & terra transibunt?

Quod & si concedatur, verbi gratia, ut sit aliquis sine peccato, quem jam non sit necesse revolvit in corpus, per quot tempora putabimus inveniri unam fortasse vix animam quæ penitus pura sit, nec permutatione corporis indigeat? Quod & ipsum si concedatur: rursum suo dogmati contrarium efficiunt. Si enim demus paucas quasque animas per singulas ad perfectionem posse restitui, ut ultra in corpora venire non indigeant: necesse est, licet per infinita sæcula & universa tempora, singulis quibusque animabus ad perfectionem restitutis, cessare jam usum corporum, & per hoc finem mundum recipere ac resolvit. Non tamen ita videtur sanctæ scripturæ, quæ dicit multitudinem peccantium relinquendam esse in fine sæculi. Quod ex eo manifestissimè indicatur: quod in Evangelio scriptum est: Verumtamen putas veniens filius hominis, inveniet fidem super terram? Sicut enim in diebus Noë, ita erit adventus filii hominis.

PAMPHILUS. Et postquam de scripturis multa differunt: ipse jam suam sententiam hoc modo declarat. ORIGENES. Erit autem his qui tunc erunt vindicta, non transmutatio animarum. Non enim jam ad peccandum locus erit: sed alia genera erunt pœnæ. Transmutatio namque corporum, pœnam non faciet peccatorum, ita ut nulla extrinsecus putentur inferri supplicia, quin potius est peccatoribus pœnarum modus, id est, ut pro his quæ in hoc corpore gesserunt,

ferunt, pœnam recipiant delictorum. Manifestum tamen est, quod ista singulari ratione, his qui possunt ejus consequentiam diligenter advertere: contraria sunt huic dogmati, quo perhibentur animæ transmutari. Quod si gentilium auctores sequi volunt qui opinionem istam ex principiorum suorum consequentia persecuti sunt, dicentes: cum hæc fiant, sine dubio nunquam mundum istum posse finire: consequens est eos qui hæc volunt, scripturæ nostræ non credere, quæ manifestissimè pronunciat finem mundi futurum, & non exquirere in ipsis scripturis expositiones, sive assertiones ineptas & inconsequentes ex quibus nullo genere ostendi potest, quod secundum scripturas nostras nunquam finis sæculi futurus sit.

DE EADEM RE EX LIBRO de Proverbiis Salomonis. Origenes.

VIDETUR autem mihi & illa assertio, quæ transformari animas de corporibus in alia corpora asseverat, pervenisse etiam in aliquos eorum, qui Christo credere videntur, ex quibusdam scripturæ sanctæ occasionibus: non intelligentes quomodo intelligi debeant quæ scripta sunt. Non enim animadvertunt quomodo homo efficiatur aut pullus, aut equus, aut mulus: & putaverunt transmutari humanam animam in pecudum corpora, ut æstimarent quod aliquando serpentis suscipit corpus vel viperæ, aliquando equi, vel cæterorum animalium. Jam ergo consequens est, & hoc illos dicere debere, quod diabolus qui leo in scripturis dicitur, corpore leonis utatur: aut draconis carnibus. cum draco nominatur. Ita erit ut secundum illos transmutatio ista animarum perveniat & in demonum naturam: ut sit aliquando vel leo vel draco anima habens diabolum.

PAMPHILUS. Et paulò post. ORIGENES. Sed superflua sunt istæ omnes adinventiones. Manifestum est enim quod una pœna tam demonum naturæ, quam humano generi peccatorum, à Domino præfinita sit: illa quam Dominus sui sententia designavit, dicens, Ite in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis ejus: ostendens quia eadem species pœnarum, peccatoribus hominibus & diabolo atque angelis ejus præparata sit: licet in eadem pœna diversa sit quantitas pœnæ. Alius enim gravior ac vehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum: alius autem remissius, cujus leviora & faciliora peccata sunt.

Apologia Pamphili pro Origene finis.

RUFFINUS DE ADULTERATIONE librorum Origenis ad Macarium.

IN his quæ in superiori libro secundum Apogeticum sancti Martyris Pamphili, quem pro Origene Græco sermone edidit, prout potuimus, vel res poposcit, Latino sermone digessimus: illud est quod te desideriorum vir Macari admonitum esse volo: ut scias hanc fidei quidem regulam, quam de libris ejus supra exposuimus esse, quæ & amplectenda sit & retinenda. In omnibus enim his catholicum inesse sensum evidenter probatur: inveniri tamen in ejus libris quadam ab his non solum diversa, sed nonnunquam etiam contraria: & ea quæ veritatis regula non admittit, quæ nos quoque nec recipimus, nec probamus. Sed hoc unde acciderit, opinionem quæ ad nos usque pervenit, nec à te quidem vel ab his qui quod verum est, scire cupiunt, cælari volo: si qui tamen sunt qui audientes id quod verum est, & quod ipsa ratio indicat, acquiescant: & obrectandi studio non quodvis malint verum esse, quam id quod eis obrectandi materiam perimat.

Dubitari non puto quod hoc nullo genere fieri potuit, ut vir tam eruditus, tam prudens, certe quod indulgere etiam accusatores ejus possunt: vir qui neque stultus, neque infans fuerit, ipse sibi contraria & repugnantia in suis sententiis scriberet. Aut etiam si ullo genere concedamus hoc accidere potuisse: fortassis enim dicit aliquis, quia ea quæ in prima ætate conscripserunt, potest fieri ut oblivisceretur in ætate vergenti & aliter quam aliquando senserat, post proferret: quid faciemus quod interdum in eisdem locis, atque ut ita dixerim, in consequenti pene capite, sententiæ contrarii sensus invenimus?

tur inserti? Nunquid in eodem opere ejusdem libri interdum, ut diximus, statim in consequenti capitulo oblitus sui esse potuit? verbi causa: ut qui superius dixerat nusquam inveniri in omni scriptura, ubi Spiritus sanctus factus, vel creatus esse diceretur, continuo subjiceret, inter cæteras creaturas factum esse Spiritum sanctum: aut iterum qui Patrem & Filium unius substantiæ, quod Græcè *ὁμοῦσιον* dicitur, designavit, in consequentibus statim capitulis, alterius esse substantiæ: & creatum poterat dicere eum, quem paulo ante de ipsa natura Dei Patris pronunciaverat natum? Vel iterum de resurrectione carnis, qui tam evidenter pronunciavit naturam carnis in cælum ascendisse cum verbo Dei, atque inibi cælestibus apparuisse virtutibus, novum & admirandum eis sui visum præbentem, possibile erat ut hanc iterum non diceret esse salvandam? Quia ergo hæc incidere ne in eum quidem poterant qui vel mente motus, vel cerebro esset insanus: quid fit in causa, quam possum breviter edocebo.

Quanta sit hæreticorum temeritas, quam nihil his sancti, nihil pensi sit: facile intelligi datur ex his quæ frequenter & ausi sunt & convicti. Nam sicut ipsorum patri diabolo ab initio fallere verba Dei atque inflectere à suo ordine & sui veneni interferrere virus studium fuit: ita & istis successibus suis, hanc suæ artis hereditatem reliquit. Denique cum dixisset Dominus ad Adam: Ex omni ligno paradisi manducabitis: ille cum vellet Evam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentem, una tantummodo interjecta syllaba, in quantas coarctavit angustias? Aut enim: Quid est quod dixit Deus, ut ex omni ligno paradisi non manducetis? Quò scilicet per hoc grave esse præceptum Dei apud hominem conquerens, prævaricationem præcepti facilius persuaderet. Hoc exemplar patris sui, atque hanc artem magistri sui secuti hæretici, quoscumque veterum nobilium tractatorum invenerunt de his quæ ad gloriam Dei pertinet, plene & fideliter disputasse: ita ut ex lectione eorum unusquisque fidelium proficere possit, & instrui, non pepercerunt scriptis eorum venenatum virus infundere, sive interpolando quæ dixerant, sive quæ non dixerant inserendo: quo facilius videlicet sub nomine doctissimi cujusque & nobilis inter scriptores Ecclesiasticos viri, hæresis suæ altrueretur assertio: ex eo quod ita sensisse etiam aliqui de claris viris & catholicis viderentur. Et horum manifestissimas inter Græcos scriptores Ecclesiasticos probationes tenemus. Et quamvis quamplurimi sunt ex veteribus, in quorum libris hujuscemodi deprehenditur adulterium: tamen paucorum sufficit adhibere testimonia: ex quibus facilius quid etiam Origenis libris acciderit, agnoscat.

Clemens Apostolorum discipulus, qui Romana Ecclesiæ post Apostolos & Episcopos & martyres præfuit, libros edidit qui appellantur, *ἀποκρινεῖς*, id est, recognitio: in quibus cum ex persona Petri Apostoli doctrina quasi vere Apostolica in quamplurimis exponatur: in aliquibus ita Eunomii dogma scribitur, ut nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus asseverans. Tum deinde etiam illud adulterii inseritur genus: ut naturam diaboli cæterorumque demonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creatura produxerit qualitas: quia utique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat liberi arbitrii facultate donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris ejus inserta, quæ Ecclesiastica regula omnino non recipit.

Quid quæso de his sentiendum est, quod Apostolicus vir, imo pene Apostolus non ea scribit quæ Apostoli dicunt? cui Paulus Apostolus testimonium dedit, dicens: Cum Clemente & adiutoribus meis cæteris, quorum nomina sunt in libro vitæ: & scribebat hoc quod libris vitæ contrarium est? An id potius credendum est quod supra diximus, quod perveris homines assertionem dogmatum suorum sub virorum sanctorum nomine tanquam facilius credenda inseruerunt: ea quæ nec illi sensisse, nec scripsisse credendi sunt?

Clemens quoque alius Alexandrinus presbyter & magister Ecclesiæ illius, in omnibus penè libris suis, trinitatis gloriam atque æternitatem unam eandemque designat: & tamen interdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit. Nunquid credibile est de tanto viro tam in omnibus catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea quæ de Deo non dicam credere, sed vel audire quidem impium est, scripta reliquerit?

Dionysius quoque Alexandrinus Episcopus eruditissimus

asseritor Ecclesiasticæ fidei, cum in quamplurimis in tantum veritatem, atque æqualitatem Trinitatis defendat, ut imperitoribus quibusque etiam secundum Sabellium sensisse videatur: in his tamen libris suis quos adversus Sabellii hæresim scribit, talia inveniuntur inserta, ut frequenter Ariani auctoritate ipsius se defendere contentur.

Propter quod & sanctus Episcopus Athanasius compulsum est Apologeticum pro libris ejus scribere: pro eo quod certus erat, non illum diversè potuisse sentire, sibi que ipsi contraria scribere: sed quod inserta hæc à malevolis nosset.

Et hæc quidem nos, ducti rei ipsius consequentia, de sanctis viris & Ecclesiæ doctoribus sensimus: quo scilicet non putemus eos qui rectam Ecclesiasticam fidem in quamplurimis astruxerunt, in aliquibus sibi metipsis diversa sensisse.

De Origene vero in quo similiter, ut in his quos supra diximus, aliqua diversitas invenitur, istud non sufficit sentire quod de præjudicatis jam catholicis sentitur vel intelligitur viris: nec similis causæ similis sufficit exculatio: nisi & ipsius hæc conquerentis & deplorantis scriptis atque vocibus probeamus. Quid enim ipse dum adhuc in carne esset vivens, sentiens, vidensque perpeffus sit: de librorum suorum, vel sermonum corruptionibus vel adulterinis editionibus, ex ipsius Epistola, quam scribit ad quosdam charos suos Alexandriæ, evidenter docetur: & per hæc quæ sit causa quod in ipsius scriptis quædam sibi contraria inveniatur, agnosces.

ITEM DE ADULTERATIONE librorum Origenis ex Epistola ipsius.

VERBA Origenis ex Epistola ipsius, quam ad quosdam charos suos in Alexandria scripsit, contra eos qui libros ejus adhuc eo vivente adulteraverunt. Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos suos, ascribunt nobis & doctrinæ nostræ crimen blasphemæ, quod à nobis nunquam audiverunt, de quo ipsi viderint nolentes observare mandatum illud, quod dicit: quia maledici regnum Dei non possidebunt: dicentes patrem malitiæ ac perditionis, & eorum qui de regno Dei ejiciuntur, id est, diabolum me dicere esse salvandum: quod ne aliquis quidem mente motus & manifestè infans dicere potest.

Sed nihil mihi mirum videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corruptatur, quali adulterio corrupta est Epistola Pauli Apostoli. Quidam enim sub nomine Pauli Apostoli falsam Epistolam scripserunt, ut conturbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies Domini & seducerent eos. Propter hanc Epistolam in secunda Epistola quam ad Thessalonicenses scripsit, hæc dixit: Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi & vestram congregationem in ipsum: ut non moveamini cito à sensu vestro, neque terreamini, neque per spiritum, neque per verbum, id est, diabolum me dicere esse salvandum: quod ne aliquis quidem mente motus & manifestè infans dicere potest.

Talia ergo quædam video etiam nobis accidere. Nam quidam author hæreseos, cum sub præsentia multorum habitata inter nos fuisset disputatio, & descriptum accipiens ab his qui descriperant codicem, quæ voluit addidit, & quæ voluit abstulit, & quod ei visum est, permutavit: circumferens tanquam ex nomine nostro insultans, & ostendens ea quæ ipse conscripsit. Pro quibus indignantes fratres qui in Palæstina sunt, miserunt ad me Athenas hominem qui acciperet à me ipsum autenticum exemplar, quod ne relectum quidem vel recensitum à me antea fuerat: sed ita neglectum jacebat, ut vix inveniri poterit. Misi tamen, & sub teste Deo loquor, quoniam cum convenissem illum ipsum qui adulteraverat librum, quare hoc fecisset: velut satisfaciens mihi respondit: Quoniam magis ornare volui disputationem ipsam atque purgare.

Videte quali purgatione disputationem nostram purgavit? Tali nempe quali purgatione Marcion purgavit Evangelia vel Apostolum, vel quali successor ejus post ipsum Apelles. Nam sicut illi subverterunt scripturarum veritatem: sic & iste sublati quæ verè dicta sunt, ob nostri criminationem inseruit quæ falsa sunt. Sed licet homines hæretici & impii sint, qui hæc facere ausi sunt: tamen habebunt & illi iudicem Deum, qui talibus adversum nos criminationibus accommodat fidem. Fecerunt autem hoc & alii nonnulli, conturbare volentes Ecclesiæ.

Denique in Epheso cum me vidisset quidam hæreticus & congregari nolisset, neque omnino os suum aperuisset apud me, sed nescio qua ex causa id facere vitasset: postea ex nomine meo & suo conscripsit qualem voluit disputationem, & misit ad discipulos suos, ut ego quidem cognovi, ad eos qui Romæ erant: sed non dubito quin & ad alios qui per diversa sunt, insultabat autem & apud Antiochiam, priusquam ego illuc venirem: ita ut & ad quamplurimos nostrorum perveniret ipsa disputatio quam paraverat. Sed ubi affui, multis eum præsentibus argui. Cumque jam sine ullo pudore pertenderet imprudenter asserere falsitatem: poposci ut liber deferretur in medium: ut scelus meum agnosceret à fratribus, qui utique cognoscerent quæ soleo disputare, vel quali soleo uti doctrina. Quique cum ausus non esset proferre librum, convictus ab omnibus & confutatus est falsitatis: & ita persuasum est fratribus, ne autem criminationibus præberent.

Si quis ergo vult credere mihi in conspectu Dei loquenti: etiam de his quæ in Epistola mea conscripta sunt & inserta, credat. Sin autem quis non credit, sed vult de me male loqui: mihi quidem nihil damni confert: erit autem ipse falsus testis apud Deum, adversum proximum suum testimonium falsum vel dicens, vel dicentibus credens.

Hæc ipse adhuc superstes conqueritur, quæ scilicet per semetipsum deprehendere potuit adulterata esse in libris suis atque falsata. Meminimus sane etiam in alia Epistola, similem nos de librorum suorum falsitate legisse querimoniam, Cujus Epistolæ exemplar in præsentem non habui: ut etiam ipsius testimonium his pro fide veritatis adungerem.

Sed sufficere arbitror ad satisfaciendum his qui non contentionis atque obreftationis studio, sed amore veri audiunt quæ dicuntur. Nam quod in veteribus sanctis ac præjudicatis catholicis viris, quorum superius fecimus mentionem, solo argumento ex rerum consequentia ac recti tenore præsumptum ostenditur ac probatur: quod si quid in libris eorum contra Ecclesiasticam fidem invenitur, id insertum ab hæreticis potius, quam ab his ipsis scriptum putetur.

Hoc in Origene non argumento solo simili ut in illis, sed testimonio querimoniarum suarum ex suis scriptis prolato, absurdum non puto si credatur, ne velut stultus aliquis, aut insanus contraria sibi scripsisse videatur.

De hæreticorum verò temeritate ut credi istud scelus facile possit, illa res maximum credulitatis præstat exemplum: quod abstinere impiis manus ne à sacrosanctis quidem Evangelii vocibus potuerunt. Apostolorum vero vel actus vel Epistolas qualiter polluerint, qualiter corroserint, qualiter in omnibus macularint, vel addendo impia, vel auferendo quæ pia sunt: si quis vult plenius scire, ex his libris Tertulliani quos adversus Marcionem scripsit, plenissime cognoscat.

Quid ergo jam erit magnum si Origenis scripta temerantur hi, qui Salvatoris Dei nostri dicta ausi sunt temerare? Nec sane diversitas dogmatum alicui assertionis nostræ denegat fidem, quod alterius hæresis fuerint illi, qui Evangelia depravarunt: ad alteram vero hæresim respiciant ista, quæ diximus Origenis libris inserta. Cognoscat qui de his dubitat, quod sicut in omnibus sanctis est Spiritus Dei: sicut & Apostolus dicit: quia spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est: qui iterum ait, quod omnes unum spiritum portabimus: ita & in hæreticis unus est diaboli spiritus, qui eandem eos ac similem semper malitiam docet.

Verum ne cui fortè minus ad credendum videantur idonea ea quæ ex libris Græcorum scriptorum exempla protulimus, quamvis Græcus scriptor sit pro quo satisfacere videmur: tamen quoniam quodammodo in Latinam linguam sermo devolutus est, & satisfieri etiam Latinis hominibus pro his qui ex calumniosis interpretationibus vulnerantur, magnopere poposcisti: non pigebit etiam Latinis scriptoribus talia quædam accidisse monstrare, & calumnias immensas ex adulteratione librorum suorum sanctis & probatissimis viris esse commotas. Et ne quid perfectæ credulitati desit, res quæ sunt adhuc memoriae nostræ retexam: quo testimonii veritas neminem lateat.

Hilarius Pictaviensis Episcopus confessor fidei catholicae fuit: hic cum ad emendationem eorum qui Ariminensi perfidie subscriperant, librum instructionis plenissime conscripsisset: cumque libellus ipse in manus inimicorum & malevolorum, ut quidam dicebant, corrupto notario, alii vero alia occasione narrabant, quid interesset: tamen cum in manus inimicorum ipso ignorante venisset, ita ab eis corruptus est,

illo sancto viro nihil penitus sentiente: ut postea cum ad concilium episcoporum secundum ea quæ se in libello ipsius noverant corruptissimè, hæreticum eum inimici arguere cõpissent, & ipse libelli sui fidem pro sui defensione flagitaret: de domo sua prolatus libellus talis inventus est, quem ipse non agnosceret: fecere tamen eum excommunicatum de concilii conventionem discedere. Verum quia viventi & adhuc in corpore posito, res quamvis scelerata & inaudita contigerat, dolo cognito, factio deprehensa: rectè scelerum machina potuit emendari. Adhibita enim curatio est assertionibus, satisfactoriis, & omnibus quæ viventes pro se facere possunt. Nam mortui nihil pati refutant.

Sancti Cypriani martyris solet omne epistolarum corpus in uno codice scribi: huic corpori hæretici quidam qui in Spiritum sanctum blasphemant, Tertulliani libellum de Trinitate reprehensibiliter, quantum ad veritatem fidei nostræ pertinet, scriptum inserentes, & quamplurimos codices de talibus conscribentes per totam Constantinopolim urbem maximam distrahi pretio viliori fecerunt: ut exiguitate pretii homines illecti, ignotos & latentes dolos facilius compararent: quo per hoc commentum hæretici perfidie suæ fidem tanti viri auctoritate conquererent. Accidit tamen ut recenti adhuc factio quidam ex nostris fratribus catholicis inventi, admitti sceleris commissi retereget: & ex parte aliqua, si quos possent, ab erroris hujus laqueis revocarent. Quamplurimis tamen in illis partibus, sanctum martyrem Cyprianum hujus fidei, quæ à Tertulliano non rectè scripta est, fuisse persuasum est.

Adjiciam adhuc unius facti talis exemplum: quod memorie quidem recentioris est, commisit autem nequitie antiquum fati: & quod omnes veterum fabulas vincat.

Damasus Episcopus, cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem Ecclesiasticæ fidei, cui iidem editioni si Ecclesiæ jungi velint subscribere deberent, conscribendam mandavit cuidam amico suo presbytero viro discretissimo: qui hoc illi ex more negotium procurabat. Necessarium visum est dicitant in ipsa editione de incarnatione Domini hominem dominicum dici. Offensi sunt in hoc sermone Apollinarianæ: novitatem sermonis inculcare cõperunt: adesse sibi cepit qui dictaverat, & ex auctoritate vera scriptorum catholicorum virorum confutare eos qui impugnant. Accidit ut unus ex ipsis qui novitatem sermonis causabantur ostenderet in libello Athanasii Episcopi scriptum esse sermone de quo quæstio habebatur: quasi suavis jam ille cui probatum fuerat: rogavit sibi dari codicem, quo & aliis ignoratibus & contradicentibus satisfaceret. Accepto codice inauditus excogitavit adulterationis genus. Locum ipsum in quo sermo iste erat scriptus rasit: & ipsum sermone rursum rescriptum quem raserat. Codex redditus simpliciter receptus est. Movetur iterum pro eodem sermone quæstio. Ad probationem codicis profertur: invenitur sermo de quo erat quæstio, ex litura in codice positus. Fides proferenti talem codicem derogatur: eo quod litura illa corruptionis ac falsitatis videretur indicium. Sed quoniam, ut iterum eadem dicam, viventi hæc facta sunt à vivente, continuo egit omnia ut fraudis commissi sceleris nudaretur, & nequitie macula non innocenti viro: qui nihil tale gesserat, adhereret: sed in auctorem facti atque in uberiorum ejus infamiam redundaret.

Si ergo & Origenes talia ab hæreticis & malevolis se esse perpessum in Epistola sua, propria voce conqueritur, & multis aliis catholicis viris tam vivis quam defunctis eadem acciderunt: simileque fraudes scriptis eorum probantur illatæ: quæ tandem animi obstinatio est, in æquali causa, non æquali uti venia, sed ex eisdem accidentibus, aliis excusationis reverentiam, aliis infamiam criminationis intendere? Quin potius aperienda est hoc in loco veritas latens. Non enim possibile est tam iniquo judicio uti quemquam hominum: ut de causa æquali, non æqualiter sentiat. Sed quod authores obreftatorum etiam hi sunt qui vel in Ecclesiâ disputare latius solent vel etiam libros scribere: qui totum de Origene, vel loquantur vel scribunt.

Ne ergo plures ipsorum furta cognoscant: qui utique si ingrati in magistrum non essent: nequaquam criminosi viderentur, neque simpliciores quoque ab ejus lectione detererent.

Denique quidam ex ipsis qui se velut evangelizandi necessitatem per omnes gentes & per omnes linguas habere putat,

de Origene male loquens: sex millia librorum ejus se legisse quamplurima fratrum multitudine audiente confessus est. Qui si utique, ut ipse dicere solet, pro cognoscendis malis ejus ipsos legebat: sufficere poterant ei decem libri ad cognoscendum, aut viginti certè: vel quamplurimum triginta. Sex millia autem libros legere, non jam velle cognoscere est: sed totam penè vitam suam disciplinis ejus, & studiis dedere.

Quomodo ergo merito iste audiendus est, cum eos culpatur, qui instructionis suæ causâ perpauca ejus, salva fidei regula atque integra pietate, legerunt: sufficere hæc ad ostendendum qualiter de Origenis libris sentiendum sit puto: quod omnis qui non contentionis, sed veritatis studium gerit, facile his tam evidentibus assertionibus acquiescat.

Quod si quis in contentione sua permaneat: nos talem consuetudinem non habemus. Definitum enim est apud nos, si quando eum legimus, secundum sancti Apostoli commotionem tenere quæ bona sunt: si quid autem inventum fuerit in his quod cum fide catholica non consonat, hoc & ab hæreticis suspicamus insertum: & tam ab illius sensu, quam à nostra fide dicimus alienum. In quo etiam si fallimus: nihil ut opinor periculi hujusmodi errore incurrimus. Nam & ipsi Deo juvante permanemus illesi, vitando ea quæ suspecta habemus & improbamus: & accusatores fratrum non inveniemur apud Deum, quia diaboli proprium esse hoc opus dicitur accusandi fratres. Unde & diabolus à criminando nomen accepit. Simul & maledicorum sententiam quæ à regno Dei separatur eos qui tales sunt, declinamus.

PROLOGUS RUFFINI IN ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ Origenis ad Macarium.

SCIO quam plurimos fratrum scientiæ scripturarum desiderio provocatos, poposcisse ab aliquantis eruditissimis viris & Græcarum literarum peritis, ut Origenem Romanum facerent, & latinis auribus condonarent. Inter quos etiam frater collega noster Hieronymus ab Episcopo Damaso deprecatus, cum homilias duas de cantico canticorum in latinum translulisset ex Græco, ita in illo opere ornatè magnificèque præfatus est: ut cuius legendi Origenem & avidissimè perquirendi desiderium commoveret, dicens illius animæ convenire quod dictum est: Introduxit me rex in cubiculum suum: asserens quod cum in ceteris libris omnes vincat, in canticis canticorum etiam ipse se vicerit. Pollicetur sane in præfatione se & ipsos in canticis canticorum libros & alios quamplurimos Origenis Romanis auribus largiturum. Sed ille ut video in stylo proprio placens, rem majoris gloriæ sequitur, ut pater verbi sit potius quam interpres.

Nos ergo rem ab illo quidem ceptam sequimur & probatam, sed non æquis eloquentiæ viribus tanti viri ornare possumus dicta. Unde vereor ne vitio meo illud accidat: ut is vir quem ille alterum post Apostolos Ecclesiæ doctorem scientiæ ac sapientiæ merito comprobavit: inopia sermonis nostri longè esse inferior videatur.

Quod ego sæpius considerans reticebam: nec deprecantibus me frequenter in hoc fratribus annebam. Sed tua vis fidelissime frater Macari tanta est: cui obistere ne imperitia quidem potest. Propter quod ne te ultra tam gravem paterer exactorem: etiam contra propositum meum cessi: ea tamen lege atque ordine, ut quantum fieri potest interpretando sequar regulam præcessorum, & ejus præcipue viri cujus superius fecimus mentionem: qui cum ultra septuaginta libellos Origenis quos homilias appellavit, aliquantos etiam de Tomis in Apostolum scriptis translulisset in Latinum, in quibus cum aliquanta offendentia inveniuntur in Græco, ita eliminavit omnia interpretando atque purgavit, ut nihil in illis quod à fide nostra discrepet, Latinus lector inveniat.

Hunc ergo nos etiam licet non eloquentiæ viribus, disciplinæ tamen regulis in quantum possumus sequimur: obsecrantes scilicet, ne ea quæ in libris Origenis à se ipso discrepantia inveniuntur atque contraria, proferamus. Cujus diversitatis causam, plenius tibi in Apologetico quem Pamphilus pro libris ipsius Origenis scripsit, edidimus: brevissimo libello superaddito, in quo evidentibus ut arbitror probamentis corruptos esse in quamplurimis ab hæreticis & malevolis libros ejus ostendimus: & præcipue istos quos nunc exigis ut interpreter, id est, ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ, quod vel de principiis, vel pote-